

præparata, & patre per spiritum progenito. Anima pariter, corpus ac spiritus in Duobus consistunt, ex quibus omnia: ex vno hæc, & vnum est, fixum & fugitiuum coniungens. Hæc duo sunt, & tria, & vnum, quod si horum cognitio te lateat, artis effectu frustrabere. Adamus in balneo sistitur, in quo Venus similem sibi reperit, hoc vero balneum ab antiquo illo Dracone, cum vires ac potentiam suam amiserat, præparatum fuit. Hoc vero nihile est aliud, inquit Philosophus, quam duplex Mercurius. In hoc nomen eius latet, quod omni diligentia, & assiduo labore quærendum.

Exitus acta probat.

SYMBOLVM NOVVM.



DEa sum, venustate & claritate generis insignis, nata ex æquore nostro proprio, terram vniuersam ambiente, & semper mobili, ex vberibus meis lac & sanguinem profund-